



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Ioan. Crombecii Societatis Iesv Presbyteri De Studio  
Perfectionis Libri Dvo**

**Crombecius, Johannes**

**Mogvntiæ, 1614**

XXXIV. Quibus operib. Perfectio acquiratur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51132)

Gen. 17.

*imum mandatum. Secundum autem simile est huic:*  
 Diliges proximum tuum sicut teipsum. Primum igitur  
 & principaliter consistit spiritualis vita PERFECTIO  
 in Dilectione Dei: vnde Dominus ad Abraham  
 loquens dicit: Ego Dominus omnipotens: ambula  
 coram me, & esto perfectus. Ambulatur autem coram  
 Deo non passibus corporis, sed affectibus mentis. Secun-  
 dario vero consistit spiritualis vita PERFECTIO  
 in proximi Dilectione, vnde Dominus cum dixisset, Di-  
 ligite inimicos vestros, & plura subiunxisset, quoad  
 Dilectionem proximi pertinent, concludit in fine. Est  
 te ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis per-  
 ctus est.

Matth. 5.

## C A P. XXXIV.

*Quibus operibus PERFECTIO ac-  
 quiratur.*

Lib. 2. de  
 finib. circa  
 medium.  
 Voluptatis  
 seu Perfe-  
 ctionis de-  
 scripto.

**C**Leantes, vt refert Cicero, tabulam ver-  
 bis pingere solebat. Iubebat eos, qui audie-  
 bant, secum ipsos cogitare pictam in tabula volupta-  
 tem, pulcherrimo vestitu, & ornate regali, in solio si-  
 dentem: praesto esse virtutes, vt ancillas, quae nihil aliud  
 agerent, nullum suum officium ducerent, nisi vt volu-  
 ptati ministrarent, & eam tantum ad aurem admo-  
 nerent (si modo id pictura intelligi posset) vt caueret,  
 ne quid perficeret imprudens, quod offenderet animos  
 hominum, aut quidquam e quo oriretur aliquis dolor.  
 Nos quidem virtutes sic nate sumus, vt tibi seruiremus  
 aliud negotij nihil habemus. Hæc ille. Nos nacti su-  
 mus



us tabulam pulcherrimam perfectæ Caritatis, Reginæ virtutum; à quâ voluptas vera & solida, auctore D. Augustino, separari non potest: videndum est quibus ancillis stipari, ornari, auferique debeat; quid illi hæc consulere, quid suggerere: ne quid committat, quod oculos Dei hominumque offendat, dolorque solutæ cum Deo amicitia oriatur. Dicendum ergo est, quibus operibus PERFECTIO acquiratur. Sunt D. Thom. vero operâ in triplici differentia: quædam natura sua bona, quædam mala, quædam à Doctõribus indifferen-  
tia vocantur.

*Sunt D. Thom. 1. 2. q. 18. a. 1. & 8.*

1. Illud in primis extra aleam est, opera mala non modo idonea non esse vt gratiam augeant, ac PERFECTIIONEM promoueant: sed ea etiam omnem PERFECTIIONIS harmoniam voluere ac conuellere, præsertim si ex ijs esse ceantur, quæ peccata letalia vocantur: est enim peccatum mors animæ, pestis virtutum, amicitia dissociatio, quæ separat à Deo, thesaurizat iram in die iræ, filios facit perditionis & damnationis, & (vt ait Basilius explicans illud Psalmi, *In cathedra pestilentia non sedit*) velut pestis primum dominum, & quoscumque attigerit, in exitium precipitat. hinc Salomon: *Impius facit opus instabile. Ruet sane, non stabit, breui concidet, sicut & dominus eius, etsi turribus ac machinis ingentibus fulciatur. Vidi, ait Rex pius, impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedros Libani: & transiit, & ecce non erat.* Turris Babel magno factu ac pertinacia ædificari cœpta, altiusque prosecta est; sed momento à Ipe cuncti exciderunt. Sic

*Peccata mortalia soluere Dei amicitia.*

*In Ps. 1. Prou. 11. Psal. 36.*

PERCIU...  
part...  
ois.



Sic & qui in mendacio spem ponunt, eorum opera tot sumptibus tot laboribus exquisita, tandem aliquando corrueunt, aut euanescent in auras; vnde Isaias: *Vae impio in malum: retributio enim manuum eius fiet ei.*

Isai. 3.

Peccata  
venialia  
obesse Per-  
fectioni.

Epist. 108.  
tom. 2.

Simile.

Li. de vera  
& falsa  
paenitentia  
c. 8. qui  
Aug. tri-  
butur,  
tom. 4.

3. Sunt & alia opera, quæ nec mortem adferunt animæ, nec diuinæ Legi directe obstitunt, disponunt tamen ad mortem, & amicitia tenerritudinem ac familiaritatem minuunt, cursum ardoremque impediunt, Deoque mirum in modum displicent. quod ita D. Augustinus testatur: *Illaque humanæ fragilitati, quamuis parua tamen crebra subrepunt, si collecta contra nos fuerint, ita nos grauabunt & oppriment, sicut vnum aliquod grande peccatum. Quid enim interest ad nauis fragorem, vtrum vno grandi fluctu nauis operiatur & obruatur, an paulatim subrepens aqua in sentinam, & per negligentiam derelicta atq; contempta, impleat nauim, atque submergat? Non vult D. Aug. omnia illa peccata venialia vnum efficere mortale: sed licet (verbi gratia) letalis aliqua delectatio breuissimo spatio concepta hominem opprimit, sic sensim exiles collectæ salutem hominis demergunt atq; oppriment, & ad consensum trahunt. Addit Augustinus: Non enim considerandum, quid fecerit, sed quem offenderit; quam bonus, quam benignus, quam pius, quam propitius est, qui illum sua dulcedine & pietate creauit ex nihilo; qui illum ad meritum perduxit ad baptismum, & educavit & nutrit tanquam filium; ad cuius commodum creauit cælestem & terram, & omnia quæ in eis sunt; cui seruiunt omnia tanquam filio; cui misit Angelum in auxilium; propter*



eum fortem & callidum debellauit hostem eius anti-  
 nom; propter quem tam multiplicia pati sustinuit, vt  
 vereretur filium cum quo dignatur habere consortiũ;  
 Deus maiestate sua regit & gubernat omnia pro-  
 pter eum potestate sua. Talem patrem offendere, con-  
 tra eius voluntatem aliquid committere, animaduer-  
 sionibus ac se non ignorantibus quam est crudele! Hæc  
 Augustinus. Non ergo hæc opera idonea sunt  
 instrumenta acquirendæ PERFECTIIONIS,  
 sed contra eam sensim comminuunt frequenti  
 lapsu ac concussionem, & ad omnimodam dissolu-  
 tionem disponunt: & quamuis Caritatem ar-  
 ctamque cum Deo coniunctionem penitus nõ  
 conuellant, nec ideo Caritatis virtutumque o-  
 pera sua dignitate careant; ea tamen obnubi-  
 lant, animæque notam inurunt, & feruorem o-  
 perationis extinguunt: vt si quis amicum ver-  
 bulo pungat, vel extrema acinacis acie vestem  
 perforat, is inimicus statim non redditur;  
 tamen si id sapius & de industria fiat, non  
 solum non placebit, sed eidem admodum  
 molestum ac tædiosum erit. molestiæ enim  
 importunæ, idoneæ non sunt ad conciliandam  
 augendamq; amicitiam. Hoc in amicitia diuina  
 vni venire solet, cum aut verbo aut facto aduer-  
 sus clementissimum Dominum, præsertim data  
 opera, vel magna incuria, ea agimus, quibus eius  
 bonitate abuti videamur.

*Simile.*

*Opera mor-  
 tua nihil  
 inuare ad  
 Perfectio-  
 nem asse-  
 quendam.*

4. Alia opera sunt, quæ etsi bona censeantur,  
 quia tamen vita carent, & à Doctoribus mortua  
 dicuntur, vim non habent vt PERFECTIO-  
 NEM promouere, & ad eam assequendam quid-  
 quam

PERFECTIO  
 mortua  
 nihil inuare ad  
 perfectionem assequendam



quam præstare valeant. Ea sunt, quæ ab ijs efficiuntur, qui in statu leralis peccati versantur. Deus enim primum omnium quis sit, qui opus præstat, cõsiderat: qui si hostis fuerit, nullo modo idoneum reputat, qui præmium aliquod mereatur. hinc Ecclesiastes: *Qui in vno peccauerit, multa bona perdet.* Isaias quoque, *Ecce, ait, non est abbreviata manus Domini vt saluare nequeat, neque aggrauata est auris eius vt non exaudiat; sed iniquitates vestrae diuiserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis vt exaudiret.* Nulli deinde promisit Deus gratiæ augmentum, præterquam amicis, & Caritate munitis, quibus solis æternam retributionem pollicetur. *Qui diligit me, ait Christus, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo eum ipsum.* &: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* *Reposita est mihi corona iustitia, ait Paulus, quam reddet mihi Dominus in illa die, in sinu dext: non solum autem mihi, sed & ijs qui diligunt aduentum eius.* denique D. Iacobus: *Beatus vir qui suffert tentationem; quoniam, cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* His ergo solis Deus gratiæ augmentum quæ æterno præmio compensetur, repromittit, qui in eius amicitia sunt & perseverant: at qui peccatis inquinatus est, Caritatem ablegavit: nõ potest igitur gratiam augere, cum eam non habeat; nec quidquam mereri, cum subiectum ipsum, gratiæ augmenti incapax sit, quam diuino eo Dei aduersarius iuratus sedem fixerit. Nemo ergo fallatur existimans se perfici posse, etiam

*Ecc. 9.  
Isaia 59.*

*Ioan. 14.*

*Matth. 5.*

*1 Tim. 4.*

*Iac. 1.*



etiam si opera maxime faciat heroica, quando-  
quidem Apostolus dicat: *Si linguis hominum lo-* 3. Cor. 15.  
*quar & Angelorum, si distribuero in cibos pauperum o-*  
*mnis facultates meas, & si tradidero corpus meum ita*  
*ut ardeam, Caritatem autem non habuero, nihil mihi*  
*prodest.*

Huc referri debent opera quaedam non v-  
tique mortua, id est, quæ à mortuo homine fi-  
unt, sed à viuo quidem, qui deinde vitam spiri-  
talem superueniente peccato extinxit, omnia  
que simul opera ætatis præterite, quantumcun-  
que eximia, oppressit. Vt enim soluta amicitia  
beneficia omnia, quæ amici mutuis officiis vltro  
citroque contulerunt aut reddiderunt, ad ali-  
quid obtinendum ab altero vel nihil profunt,  
vel sæpe etiam obsunt plurimum; ita & qui à  
prima ætate diuinis beneficijs ad sublimem ali-  
quam Caritatis gradum prouectus est, si ab ex-  
cellentissimo vertice ingratus ruat, non est quod  
existimet sanctitatem præteritam sibi posse pa-  
trocinari ad Dei augendam gratiam, nisi primū  
red eat in gratiam, & summa humilitate infimis-  
que precibus perditam gratiam recuperet. hinc  
Propheta: *Etiamsi dixerō iusto quod vita uiuat, &* Ezech. 33.  
*si iustus in iustitia sua fecerit iniquitatem, omnes iusti-*  
*tie eius obliuioni tradentur, & in iniquitate sua, quam*  
*operatus est, in ipsa morietur.* Nihil ergo profunt,  
nec obsunt maxime, primum opera lethalia,  
quæque ad mortem disponunt; nec etiam pro-  
stant mortua, nec denique ea quæ mortificata  
recantur.

Verum quid de indifferentibus seu medijs,  
Hh quæ

*Opera mor-*  
*tificata non*  
*prodesse*  
*ante recō-*  
*ciliationē.*  
*Simile.*

RECIPIT  
per  
d.



Res quas-  
dam indif-  
ferentes  
inueniri.

quæ modo recte, modo male fieri possunt: vnde res quædam indifferentes esse dicuntur. Tale quid est nasci, mori, diuitias possidere, esse sano corpore, honorari, edere, bibere, ambulare, quæ ex specie sua & obiecto indifferenter habent, quia obiectum ex se bonitate caret, vel malitia: ideo euentus & effectus similes eidem respondent. Bene natus est Christus, bene Virgo Maria, bene D. Ioannes Baptista, in quorum natiuitate multi gauisi sunt; male vero

Matth. 26. das: *bonum enim erat ei, si natus non fuisset* homo

Psal. 115. *ille. Pretiosa mors sanctorum, peccatorum peccata*

Psal. 33. *Bonum lobo fuit opulentum esse; diuiti Eorum quodam*

Prou. 10. *ni damnabile. Qui ambulat simpliciter, amicum*

Psal. 1. *confidenter: maledictus vero qui abiit in conspectu*

*lium impiorum.*

Opera in- 7. Hoc etsi verissimum sit, non tamen in quibusdam

differentia dum agimus & operamur, actio nostra indifferens

ex obiecto rens est, id est, nec bona, nec mala: sicut homo

& specie. ex specie sua nec bonus est, nec malus; nullus enim

men nascitur aut viuit, qui non sit bonus, nec malus

malus, iustus vel iniustus, ex conditione accidentis

ria. Ita accidit operibus nostris, quæ ex obiecto non

vel specie indifferentiam habent, ex circumstantia

tia tamen variantur: est enim doctrina D. Thomæ per

D. Th. ubi ma, circumstantiam actus naturam sepe immutat

supra. tare; & sine circumstantijs agere non possunt: circum

unde quod ex obiecto malitiam aut bonitatem

non continet, eidem à conditione aliqua accidentis

dente tribuitur. Quia vero bonum ex integritate

causa, malum ex minima; hinc fit vt perfectius

ctus qui indifferentes sunt ex specie, magis



... sunt, eo quod aliquid ad actus PERFECTI-  
 ONEM desideretur. Quapropter huius-  
 modi opera apta non erunt ad augendam PER-  
 FECTIONEM, cum ipsa perfecta in suo ge-  
 nere non sint, nec ullam bonitatem conti-  
 neant.

Atque in primis si actus fiant absque ludi-  
 cationis, à sola imaginatione prodeuntes: *Animales  
 actiones  
 nihil ad  
 perfectionem perti-  
 nere.*

... oculum, pedes, manus, vel aliam corporis  
 partem mouere, tussire, spuere, faciem exerge-  
 re, etc. Talis fuit actio D. Augustini in horto ex-  
 tero, quam ipse ita describit: *Denique tam mul-  
 ti faciebam corpore in ipsis cunctationis astibus, que  
 quando voluit homines, & non valent, si aut ipsi mem-  
 bra non habeant; aut ea vel colligata vinculis, vel reso-  
 luitur languore, vel quoquo modo impedita sint. Si vulsi-  
 mus, nullum, si percussimus frontem, si consertis digitis ample-  
 ximus sum genu, quia volui feci.* Hæ actiones nec  
 bonæ sunt, nec malæ: nec mirum; nam mora-  
 rum non sunt, vel humanæ, cum à ratione aduer-  
 sate minime procedant, nec teneatur homo  
 ad ea, nisi imper intendere ut eas impediatur, vel dirigatur ad  
 aliquid honestum, nisi loci vel nego-  
 ciorum circumstantia aliud exigat, ut statim dice-  
 rit bonitas. Quare & has à PERFECTI-  
 ONIS obsequio merito remouemus, quandoquidem à  
 bonitatis actionibus parum discrepare vide-  
 tur.

*Animales  
 actiones  
 nihil ad  
 perfectionem perti-  
 nere.*

*Li. 8. Con-  
 fess. c. 8.*

*Opera in-  
 differentia*

Hh 2 actio-

PECIUS  
 portus  
 2018



variis ca-  
sibus in ma-  
lis esse ha-  
benda.

actiones in malis reputari, & nominatim in  
bus operationum generibus, quibus sine ho-  
nesto fine operamur: multa enim agimus, multa  
ta prætermittimus, non alio fine, quam quod  
placeat, aut quia licitum sit; seu quod non re-  
neamur aliquid agere, vel etiam omittere: de  
nique quia id ipsum delectabile sit, ideo prohi-  
quimur; quia vero voluptate careat, abijcimus.  
Addo id quoque verum esse, quotiescunque  
ctio ex natura sua, aut ex circumstantia, non  
prorsus honestate prædita est. Hæc namque  
ctiones etsi turpitudinem alicuius peccati  
peccati non inuoluant, male tamen reputantur,  
quod sine debito spoliuntur, fiantque inanis  
otiosæ, de quibus Dominus dicit rationem  
reddendam in die iudicij. Quid enim est  
bum otiosum? Si D. Basilio credimus, illud  
quod non conducit ad propositam utilitatem; si D.  
Hieronymo, quod sine utilitate loquens dicitur  
audientis; si D. Gregorio, quod ratione iuste  
tatis, aut intentione pie utilitatis caret; si Tertul-  
no, quod vanum & superuacaneum est. Quæ  
verbum otiosum prauum est. Cur ita? Quia  
utile, superuacaneum; quia caret debito fine  
qui hæc voluntas agentis, quia placet, quia  
lo, quia non teneor, quia hoc delectationem  
fert, inutilis est, & debito fine caret; caret  
necessitatis ratione, ac intentione pie utilitatis  
praua ergo dicenda est; & eo maxime, quod  
mana regula non regatur: est enim contra  
ctam rationem, metiri actiones suas norma  
luntatis ratione destitutæ; tales vero sunt  
ad

Matth. 12

In Regul.

brev. inter-

rog. 23.

In c. 11.

Matth.

li. 7. Mor.

c. 25.

Lib. de pa-

nitent.



actiones quæ fiunt quia placet, quia licet, id est,  
 quoniam non teneor vitare. Delectatio quoque finis  
 non potest actionum, cum in ea bonitas  
 non sit, sed ab actione, à qua generatur, mutua-  
 re debeat. Hæc deinde agendi ratio excludit di-  
 scordia, illisque repugnat; quod vitio care-  
 re non potest. Sit aliqua Religio cuius regulæ ad  
 præceptum non obligent: si ad orationem pulsus  
 sit, si ad mensam, si ad Capitulum, atque il-  
 licite qui prætermittam solum quia id licitum  
 est, vel nulla lege obligante teneor, quis id fe-  
 cerit? Omnes sine ratione facient,  
 quod volunt, quia non tenentur: quod omni-  
 bus inordinatum est, & peccatum; quia illa posi-  
 tio nolitio aut omissio caret fine debito, caret  
 regula, caret duce ac ratione, cuius est, quem-  
 admodum actum suum ad finem dirigere. Alia ratio  
 est pura omissio: nam licet ad puram o-  
 missionem nulla requiratur ratio cur quis qui-  
 dam orationem, verbi gratia, ire ad Capitulum  
 non pulsatur; tamen ad exercendum actum po-  
 timum, qualis est, velle omittere orationem,  
 non esse interesse Capitulo, etiam sine scandalo,  
 semper oportet habere obiectum rectæ rationi  
 conveniens. Ex quibus colligitur, actum ex spe-  
 cie & obiecto indifferentem, in particulari esse  
 debitum; quod sine prius meliore, ac debito  
 regula que careat necessaria, quamuis habeat &  
 esse specificum, & omnes circumstantias  
 necessarias ad suam indiuiduationem: sicut a-  
 ctus ille Charitatis, quo quispiam dat indigenti  
 communiter, prætermisso eo qui extrema ne-  
 cessi-

RECITUM  
 1. portus  
 2. 18.



cessitate laborat, malus est defectu ordinis non seruati. manet quidem esse specificum cum omnibus circumstantijs ad specificationem necessarijs: deest tamen aliquid quod actum vitiat, nempe defectus ordinis requisiti. Sic & in questione praesenti solus defectus actum vitiat. Hec enim malitia, quae in tali actu reperitur, non oritur ex vi solius speciei; nam sic ab eo nunquam posset separari: sed ex eo quod actus careat debito fine; quod illi est accidentarium, & ideo species eius manet indifferens: actus enim indifferens honestatem & bonitatem non habet; illud namque indifferens dicitur, quod bene vel male fieri potest: ergo actus ille ex natura sua caret bonitate; si enim nec ab obiecto intrinseco nec ab alio bonitatem accipiat, ergo bonus non est, sed otiosus, ut bonus sit, mutari debet honestatem à circumstantia, & maxime fine; quem bona voluntas ductu rationis magis quam honestum appetat: fit enim finis illi tantum forma actionis, & obiecti locum implet, mouetque voluntatem ad agendum; & actui bonitatem suam impertit. Quare tribus estis casibus si actiones ad finem honestum referantur; nullo modo bonae dici poterunt imo vitiosas esse has operationes, sic exploratum haberi debet, ut contrarium probabilem careat.

1. 2. q. 18. 10. D. Thomas ulterius graditur, & in re  
art. 9. tia reputat, (et si nonnulli aliter sentiant) de  
D. Bonan. berato animo, nullo alio fine honesto propo-  
in 2. d. 41. to, vitam longiorem, sanitatem roburque; con-  
q. 3. ar. 1. 9.



appetere, honores & diuitias assumere, an-  
 horeque ad cibum & potum, & his similia,  
 tum quia naturæ conducunt; illaque omnia  
 ordinata esse, mala, & peccata, omnino statuit.  
 ordinatum namque est, hominem ad opera-  
 nes suas aliam normam adhibere, quam re-  
 rationis iudicium: quod non adhibet, qui  
 tum naturæ appetentiæ satisfacit, sed illam  
 tum appetentiam, bonumque naturæ conue-  
 ans, rationis loco reponit: quod actuum hu-  
 manorum regula recta esse non potest. Et sicut  
 qui bonos oculos habet in capite, attamen  
 ter faciens illos claudit, aut allidit sese, aut cer-  
 te euidenti se periculo exponit collisionis; ita  
 & qui rationis lumine præditus est, nec eo uti-  
 tur cum debet, aut impinget, aut certe periculo  
 erandi ac peccandi se exponet: sicque velle  
 posset quod honestum non est; eoque tempore  
 tuare vitam, cum illam teneretur exponere; co-  
 medere vbi alienum ederet. Quam multa na-  
 tura requirit, quæ si priuato loco, laudabiliter;  
 in publico, inciuiliter egeris! alioquin cur Apo-  
 stolus clamat: *Nunquid domos non habetis ad man-  
 dandum & bibendum? aut Ecclesiam Dei contem-  
 ptis? Natura irritata pruritu animalculi postu-  
 lat vt caput frices, illud eductum è collo inter-  
 ficias; at hoc in sacrificio feceris? Ratio certe di-  
 ctat non esse faciendum, at naturæ bonum id  
 exigat. Propinatur tibi vinum siti corpore ex-  
 tuante, cur bibis? Quia sitio. At febris labo-  
 ras. Natura non iudicat rectene fiat, an secus;  
 sed an bonum illi sit, quod concupiscit rationis*

Hh 4

iudi-

*alij, Scotus  
 Ocham.  
 Bonum na-  
 tura non  
 posse esse  
 regulam  
 actionum  
 nostrarum  
 malumq;  
 esse aliquid  
 agere quia  
 id natura  
 appetit.  
 Simile.*

RECITUM

1. Cor. II.  
 Ecclesiam Dei contem-  
 ptis?



Di. 3. de con  
fid. c. 4.

iudicium debet accedere, quod quid expediat  
tempore & loco decernat. Hinc D. Bernardus  
scribens ad Eugenium: *Spiritualis* (inquit) homo  
ille qui omnia diiudicat, ut ipse à nemine diiudicetur,  
omne opus suum in una quadam consideratione prae-  
niet: primum quidem an liceat, deinde an deceat, po-  
stremo an expediat. Nam et si constet in Christianari-  
que philosophia, non decere nisi quod licet, non expedire  
nisi quod decet & licet; non continuo tamen omne quod  
licet, decere aut expedire consequens erit. Age, ap-  
temus si possemus, tria ipsa operi huic. At quomodo non  
indecens tibi voluntate pro lege uti, & quia non est al-  
quem appellaris, potestatem exercere, negligere ratio-  
nem? tunc maior Domino tuo, qui ait, Non veni facere  
voluntatem meam? Quamquam non minus dicitur  
quam elari animi est, velat rationis expertem non pro  
ratione, sed pro libitu agere, nec iudicio agi, sed appeti-  
tu. Quid tam bestiale? & si indignum cuius ventri-  
tione vivere ut pecus, qui in te recte omnium tantum  
contumeliam natura, honoris incuriam ferat? Sic de-  
generando (quod absi:) generale opprobrium seorsum  
proprium tibi? Homo cum in honore esset, non inter-  
xit: comparatus est iumentis insipientibus, & similitudo  
factus est illis. Hæc Bernardus. Ex quibus videre  
est, satis non esse aliquid esse licitum, ut illud a-  
gere valeas; sed rationem oportere accedere,  
quæ iudicet, deceatne expediatne, nec ne, quod  
licere sit in confesso. Ludere licet bestiis, licet  
& hominibus: sed ne cum Domino tuo lude-  
ris; lude cum æquali aut inferiore. Alius item  
ludus puerorum, alius virorum est. Et si læsa sit  
bellua, quærit in horto medicinam: licet & ho-  
mini

Ioan. 6.

Psalm. 48.



niti chirurgum accedere: quid si maleficus sit?  
 Item argumētum pertractat Diuus Paulus scri-  
 ptus ad Corinthios. *Non sum, ait, liber? non sum* <sup>1. Cor. 9.</sup>  
*apostolus? nunquid non habemus potestatem mulierem*  
*prorem circumducendi? Si nos vobis spiritualia semi-*  
*namus, magnum est si nos carnalia vestra metamus?*  
*Ad non vsi sumus hac potestate: sed omnia sustinemus,*  
*quod offendiculum demus Euangelio Christi. Nesci-*  
*mus quoniam qui in sacrario operantur, qua de sacrario*  
*comest edunt; & qui altari deseruiunt, cum altari parti-*  
*cipant? Ego autem nullo horum vsus sum. Quæ est ergo*  
*merces mea? Vt Euangelium predicans, sine sumptu*  
*panem Euangelium; vt non abutar potestate mea in*  
*Euangelio. Omnia mihi licent, sed non omnia expe-* <sup>1. Cor. 6.</sup>  
*dicant: omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar*  
*potestate. Esca ventri, & venter escis; Deus autem &*  
*hanc & has destruet: corpus autem Domino, & Do-*  
*minus corpori. Quapropter, si esca scandalizat fratrem* <sup>1. Cor. 8.</sup>  
*meum, non manducabo carnem in æternum, ne fra-*  
*tre meum scandalizem. At cuius est id iudicare?*  
*naturæne, quæ cæca est, & sui amans? Addit er-* <sup>1. Cor. 10.</sup>  
*go: Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt: o-*  
*mnia mihi licent, sed non omnia edificant. Nemo quod*  
*suum est quarat, sed quod alterius. Hæc Diuus Pau-*  
*lus.*

ii. Quare, quætere se ipsum, inordinatum est:  
 nam apperens quis rem sibi conuenientem aut  
 delectabilem, non malam; vt illa vti velit hone-  
 ste, ordinem à natura institutum seruet necesse  
 est. Ea autem est naturæ institutio, vt illam ad  
 finem honestum referat; ideoque regula ra-  
 tionis data homini est, vt per eam modum ac-

Hh 5 regu-



regulam actionibus suis præscribat. quod si iuxta hanc naturæ institutionem actiones ad finem honestum non referantur, ex vi regulæ rationis sequetur appetitionem illam ordine carere esse inordinatam, esse otiosam. Otiosam, inquam, sicut & omnes indifferentes operationes: sicut enim velle honestum in communi non pertinet ad aliquam specialem virtutem, ita harum actionum malitia non spectat ad aliquod speciale vitium, quia ipsi honesto in communi repugnat, & ex quadam naturæ fragilitate committitur.

Dices nullum esse præceptum quo teneamur semper operari propter honestatem; satis videri, si nihil quod honestati repugnet admittamus: verum enim vero eo præcepto teneamur operari propter honestatem, quo teneamur secundum rectam rationem; nos vero sic obligari, hæ rationes conuincunt. Primum, quod ratione præditi sumus: est enim ratio velut lucerna totius hominis, & omnium operationum eius. Hinc Christus: *Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit: si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. At nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt.* Ad literam per oculum intellectum ac iudicium rationis intelligi vult Chrysostomus: quare si oculus otiosus fuerit, nec directionis officio fungatur, (quod est, lucernam ponere sub modio, aut in abscondito) totum operis corpus tene-

*Hominem  
teneri ope-  
rari secun-  
dum rectam  
rationem.*

I.  
*Matth. 6.*

*Matth. 5.*



nebrosum ac vitiosum erit: quod alioquin per  
 accidum euaderet. Deinde tenetur vnusquisque  
 sic operari, vt non contra rationem nitatur; ac  
 per consequens conari ne se periculo huic ex-  
 ponat: exponit vero, si regulam rationis adhi-  
 bere vel negligat, vel respuat; quemadmodum  
 errandi quærit occasionem, atq; offendendi,  
 quia spectum oculorum, cum proficiscitur, non  
 adhibet. Denique tenetur homo opera omnia  
 talia reddere, quæ apta sint in Deum referri, vt-  
 que iisdem Deo placeamus & obediamus; alias  
 censentur otiosa & inutilia ad finem hominis;  
 quod vt fiat, requiritur vt à recta ratione diri-  
 gantur, & honesta sint; id enim omne & solum  
 Deo placere potest, quod honesti venustate est  
 exornatum. quare quod ait Hieronymus, *Bonum*  
*est continentia, malum est luxuria; inter vtrumque*  
*indifferens est ambulare; hoc nec bonum, nec malum*  
*est, siue enim feceris siue non feceris, nec iustitiam ha-*  
*beris, nec iniustitiam:* non impugnat hanc D. Th.  
 doctrinam; ex obiecto enim actus ambulationis  
 semper manet indifferentis, vitiatur tamé de-  
 fectu necessariæ circumstantiæ. Deinde Hiero-  
 nymus non dicit indifferentem esse in indiui-  
 duo, sed indifferentem esse siue feceris, siue non:  
 si enim omittas, non peccas: & si feceris, non  
 facis iustitiam, quia actus ille iustitiæ non con-  
 tinet honestatem: si tamen alterum feceris, sic  
 fac, vt ducem rationem sequaris. Denique non  
 nego dari actum indifferentem inter luxuriam  
 & continentiam, vt est virtus Christiana: nam  
 omnes actus moraliter boni sunt indifferentes  
 & me-

2.

3.

Hier ep. 89  
 ad Aug. c. 5

RECITATION

1. port. 10  
 2. 115.



*Greg. Naz.  
orat. 3. qua  
est 1. cont.  
Iul. inuecti  
ua, sect. 64.  
versa, Ad  
hac quo-  
modo.*

& medij inter vitium & iustitiam; & hoc iplum est quod ait Hieronymus, & Gregorius Nazianzenus, qui docet philosophiam Christianam agrosere medium inter eum qui dignus est laude, & qui meretur poenam: quales sunt artifices, qui, ut honeste viuant, officia exercent, & quisque moralium officium sibi commissum administrat; quæ quia naturalia sunt, ad meriti dignitatem non assurgunt, ideoque coram Deo laude vel vituperio digna esse non censentur.

Ex quibus sequitur, actus quosdam esse naturales moraliter bonos: etiam si ad finem alicuius virtutis specialis non referantur: quales sunt omnes actus laudabiles secundum rectam rationem ab ethnicis facti, opera mechanica, rerum publicarum administrationes, fabricæ in bonum ciuitatum erectæ, denique opera omnia quæ nos agimus, ex specie quidem indifferentia; iudicio tamen rationis fiunt ob honestatem quandam rationi consentaneam: quæ ratio finis idoneus ac sufficiens esse potest, ut actus censentur bonus & honestus.

Alioquin si hæc omnia ad classem indifferentium referantur, non erunt laude digna. Atqui sapientes ea, quæ ex iudicio rationis fiunt, probare solent, ac meritis laudibus prædicare. Laudantur etiam qui ex lumine ac directione rationis vitam omnem instituunt, actionesque disponunt ac dirigunt: nihil enim ab homine aliud exigi potest, quam ut rationem ducem sequatur & eas ductu mores actionesque componat: quod cum



cum facit, omnium iudicio bene facit, & laude dignus est.

Deinde opus aliquod vitiosum ex defectu finis vel exercitij rationis, cum ipsa tenetur advertere, non habet malitiam alicui virtuti repugnantem: sed pertinet malitia hæc ad peculiare quoddam vitium complectens omnes actiones otiosas. Ita etiam actus isti, tametsi non referantur ad finem alicuius virtutis specialis, boni esse censentur ex vi illius honestatis, quam ratio ipsa quæ homini data est ad agendum, illis confert.

Qui enim aliquid agit ex iudicio rationis, hic vel finem aliquem honestum habet actionis suæ, vel virtute illum intendit; ut rogatus responsurus sit, se ob fines rationesque conceptas hoc vel illo modo vitam actionesque instituire: ut pater familias operari se ut alat familiam, ut filios educet, ut vitam sibi à Deo datam conseruet; magistratus similiter muros urbis & ædificia excita et ut ciues muniat, externos alliciat, ciuitatemque incolis repleat.

Quapropter omnia opera hæc talia sunt, ut, si accedat dispositio subiecti, referri possint in finem supernaturalem, fierique meritoria vitæ æternæ; quamuis ex natura sua, quia naturalia sunt, & naturæ limites non excedunt, nouæ gratiæ æternique præmij meritoria esse nullo modo possint.

12. Hæc D. Thomæ doctrina studiosis PERFECTIONIS est sequenda; nam altera sententia incuriam magnam inducit: si enim non tenear

PERFECTIONIS

12. Hæc D. Thomæ doctrina studiosis PERFECTIONIS est sequenda; nam altera sententia incuriam magnam inducit: si enim non tenear



near iudicium rationis adhibere exercendis actionibus, si nullum finem honestum spectare; quid superest, nisi ut naturæ, iuris proprii & commo-  
modorum plus satis tenaci & appetenti, habe-  
nas laxem, agatque quidquid velit, optet, qua-  
rat, & in ijs conquiescat? fauet etiam plus æquo  
amori proprio, qui apertiores campos subinde  
non requireret ad sectandum otium, ad labo-  
rem fugiendum, utque à mortificationis mole-  
stia se subtrahat, rigorem pœnitentiæ excutiat:  
ea enim naturæ admodum aduersantur. quare

*Ioan. 12.*

Christus nos hortatur persæpe: *Qui amat ani-*

*Matth. 16.*

*hoc mundo, in vitam eternam custodit eam. &: si*

*Marc. 8.*

*quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tol-*

*Luc. 9. &*

*lat crucem suam, & sequatur me. Denique iube-*

*14.*

*mur vigilare, dæmonis fraudibus obuiam ire,*

*1. Pet. 5.*

*nobis attendere, sobrij esse, quia aduersarius noster*

*dæabolus circuit querens quem deuoret. At si opera-*

*ri liceat absque rationis ductu, locum aduersari-*

*o dabimus maxime apertum, qui virtutis si-*

*mulacrū pro vera virtute facile obijciat & volu-*

*ptas sub necessitatis pallio facile sese insinuabit.*

Quapropter etsi quis à culpa eum liberet, qui

innixus alteri sententiæ sponte velit sic operari,

ut putet id sibi licitum esse; non ideo tamen

opus erit indifferens à parte rei, etsi idem (quod

errore inuincibili labore) ita videatur: vit-

tamen fieri potest ut is sententiam suam redu-

cat in praxim. Qui enim actiones suas ad fi-

nem honestum non refert, non ideo id facit,

quod existimet id esse licitum, sed ei hoc ex negli-

gentia



gentia & indebito agendi modo contingit: ex quo plurimi defectus ac delicta oriuntur, scrupuli, conscientiaque inquietudo. Nec is *αυτήν* ferret aculeos, si non confessionis remedio se ab huiusmodi reus ac inordinatione vindicaret. Quid enim quotidie confitemur aliud; quam incircumspecte nos esse locutos, commodis indulgisse, appetitui morem gefisse? quæ omnia idcirco nos arguunt, vel quod ratio defuerit officio, vel finem honestum nacta non fuerit. Sancta Catharina Senensis cum triduo in mentis excessu contineret Deo adhæssisset, & tertio tandem die vix sibi quodammodo reddita, fuisset rogata à duobus Dominicanis Patribus num vellet secum solitarium quendam virum sanctitate florentem inuisere, ipsaque, lingua mentem præcurrente, verbo annuisset: tanta eam deinde penitentia cœpit inconsiderati responsi, vt triduo dies & noctes à dolore ac singultibus non cessaret, haud secus quam si nefandum aliquod crimen admisisset. Nos, tanto lumine destituti, vitia nostra non sentimus aut palpamus, ideoque in purissimis illis mentibus tanquam in speculis mundissimis nos maculas contueri & cognoscere expediret.

*Raymundus in vita eius, apud Surinm.*

13. Omnis ergo operatio quæ sine debito ceteret, nec ratione duce regitur, otiosa est, nec apta ad acquirendam PERFECTIIONEM. Sed quid si bona sit, si debito fine, naturali tamen, colihonestetur? Existimant nonnulli honestatem ac bonitatem actus non à fine quolibet, sed

*Conclusio.*  
*Gre. Arim. in 2. d. 26. c. 38.*



Bonau. ibi.  
dist. 41.  
1. Cor. 10.

sed ab ultimo desumendam esse; ideoque actum  
nullum fore bonum, qui ad Deum tanquam fi-  
nem ultimum ab operante non referatur, sal-  
tem virtute quadam: ideoque monuisse Apo-  
stum, ut omnia, quæcumque facimus, ad gloriam  
Dei faciamus. Nolim tamen huic sententiæ pe-  
trocinari, & præcepta inducere, ubi nec natura,  
nec Deus ipse quidquam indixit, nec etiam præ-  
cipit Apostolus, sed hortatur: sufficiens enim  
est obiectum honestum, ut actui tribuatur hone-  
stas: alioquin opera Gentilium, vel etiam  
Christianorum qui hanc praxim ignorant, et  
sunt peccata: quod tamen aperte falsum est, &  
duobus Pontificibus, Pio 5. & Gregorio deo-  
motertio, damnatum. Ipsum denique opus bo-  
num, etsi actu in finem ultimum non referatur,  
intrinsicè & naturali ratione tendit in Deum  
quia eius sanctissimæ voluntati consenti-  
entium est, utpote omnis honestatis singularis  
terminus: tum quia idoneum est ad concilian-  
dam eius benevolentiam, atque adeo ad ipsius  
sue naturali, siue supernaturali modo promou-  
endum.

## C A P. XXXV.

*Solis Caritatis virtutumque infusarum opo-  
ribus PERFECTIONEM posse  
acquiri.*

14. **V**erum esto, non sit opus honestam  
ctionem in Deum referri, bona ea sit &  
lab